

REVERENDO ADMODUM IN CHRISTO ET DEI AMANTISSIMO

PATRI ET DOMINO

F. BERNARDO A FRESNEDA

Ab arcanis confessionibus regiae catholicae majestati, domino et Mecænati suo colendissimo

JOANNES MOLINÆUS

Ejusdem Decretorum Lovanii professor.

S. D. P.

Quoties calamitosissimum catholicae Ecclesiae A statum, eaque tempora quae religionis Christianae necdum compositis dissidiis, cum ortum, tum progressum praebuere, memoria repeto, reverende ac religiosissime Pater confessor, tanta me corripit admiratio, tantus incessit stupor ut existimem fidem olim defuturam, etiam iis rebus gestis, quarum non tam lectores, auditoresve, quam spectatores hodie omnes constituimur. Non quidem quod in summa hominum, ac naturali prope ad dissentendum propensione et facultate, haerescos schismaticive nomen sit, unquamve fuerit, novum inter nos, prohi dolor! aut insolens; quae etiam non modo familiaria aut domestica Dei Ecclesiae fore mala, sed necessaria, ut credi possint prorsus inevitabilia, Paulus electionis ille vas praedixerat ac praesenserat (*I Cor. xi, 19*), verum quod nullus unquam sectae quam Lutheranae, cum difficilior origo, tum grandior successus exstiterit. Equidem si condita primum religione, ac praesertim apostolis primisque Christi discipulis, puta τοῖς ἀτόπταις καὶ ἀτακτοῖς τοῦ λόγου in caelum sublatis, omnia fuerint errorum ac contentionum plena, nemini, ni fallor, admodum mirum videri debet, quisquis imprimis secum reputaverit quam sint omnium rerum ingentium ac memorabilium primordia operosa ac difficilia, deinde quantae molis fuerit, inter tot vanas, perversas et falsas quidem, sed a multis retro saeculis receptissimas Deastrorum superstitiones et cultus, unam veram illam quidem veri Dei C notitiam et religionem, sed ignotam et inauditam, omnesque notas religiones evertentem (ne dicam vel ob solam crucis ac Crucifixi ignominiam parum credibilem ac verosimilem) fundare ac stabilire. Mitto quod ejus primi praecones et architecti iudicio humano, nec celebres, nec illustres, nec vero potentes sapientesve fuerint, sed obscuro omnino homines, viles et abjecti, sed philosophiae, eloquentiae, urbanitatis, externarumque omnium ac communium litterarum plane rudes et imperiti, sed, ut uno verbo dicam, plane, ut inquit Paulus περιχαθήματα καὶ περιψήματα τοῦ κόσμου (*I Cor. xiv, 13*). Neque enim multos sapientes secundum carnem, neque multos potentes, neque multos nobiles, sed

quae stulta sunt mundi elegit Deus, utique ut confunderet sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia et nobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret (*I Cor. i, 26, 28*), ut idem ait ad Corinthios scribens, et recte; scriptum enim erat: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (ibid., 19)*. Quid dicam obstante saevissima persecutione, episcoporum conventus (in quibus maximum praedendarum fidei litium et controversiarum praesidium positum semper fuit) commode tum haberi non potuisse? Quid denique, quod Romani principes, quorum tum amplissimum erat imperium, et si qui praeterea erant reges alii, omnes suas vires ac universam potentiam in exitum B Christiani nominis converterent? Nec mirum, eccuius enim indulgeret, parceretve, et non excinderet ἀδύνατος, θεοστασίων δειπνῶν, καὶ οἰδὲ ποδείων μίξωσιν reos? quae tria atrocissima scelera, nostrae genti, id temporis, quanquam falso et injuria, impingebantur. Jam vero quas post Constantinum Magnum haereses, perpetuus humanae salutis hostis, diabolus, ad turbendam Ecclesiae, jam tum ab externis bellis respirantis, pacem et concordiam, immisit, omnes vel ab imperatoribus, vel a praecipui aliquot nominis episcopis, coortas defensasve reperies; quorum potentia et conatus etsi ad veritatem opprimendam extinguendamque fuerit invalidus et inefficax, tamen facile perfecit ut decretis synodicalis, sin minus vis et auctoritas, saltem justa ac legitima executio defuerit. Quod si jam ad nostrae tempestatis haeresiarchen te animo converteris, omnia invenies fuisse, cum impietatis suae scholam aperiret Lutherus, diversissima. Summa erat imprimis per universum orbem Christianum in doctrina fidei consensio. Incredibile quoque principum omnium et populi, ad servandam ac defendendam avitam religionem, quam quisque a majoribus suis perpetua serie acceperat, studium. Mitto quod nulla unquam natio, antiquitatis praeorumque institutorum amantior fuerit quam, ubi hic Satanæ antesignanus primum virus suum disseminavit, Germanica. Quod amplius est, hujus dogmata Leo decimus id temporis pont. max. non solum impie-

tatis protinus damnavit, verum etiam diro anathematis mucrone, quotquot ea amplecterentur, cum ipso auctore jugulavit.

Cujus sententiæ nequaquam inviti subscripserunt quotquot ubique terrarum exstabant studiorum rectores et academiæ, una cum religiosissimis civitatum episcopis. Imperator vero, qui tum erat faustissimæ memoriæ Carolus quintus, regis nostri Philippi parens, pontificia decreta in constitutiones retulisse, ut legum etiam vim habere inciperent, exemplo pussimorum principum Constantini, Theodosii, Justiniani aliorumque non contentus, insuper gravissimas pœnas in prævaricatores adjecit, quem imitati sunt Germaniæ, Galliæ, Poloniæ, Pannoniæ, Britanniæ, et ad unum omnes Christianorum reges ac principes. Quas quidem pœnas ne quis forte constitutionibus additas esse, metus incutiendi duntaxat causa suspicaretur (uti olim Theodosio Augusto majori seu seniori factum fuisse ecclesiastica prodit Historia), crebra mox, nec minus atrocia supplicia de reis sumpta, satis superque edocuerunt; quinimo tantum pœnis recipiendis indultum est ut diu, damnatis quamquam respicientibus, et ad pristinam fidem reversis, nec vitæ, nec honorum, venia gratiæque facta sit. Unde certissimum evadere majorem omnino esse iram et odium Christianorum principum in hæreticos quam unquam fuisset Paganorum in Christianos et Catholicos; quippe quos deprehensos, convictos et condemnatos, quin ad supplicii etiam locum abductos, hujusmodi verbis demulcere consuevisse, legitimus, *τι γὰρ κακὸν ἴσταν εἰπεῖν, κίριε καὶσαρ, καὶ θῦσαι, καὶ σώζεσθαι*. Itaque illos sola inficitio ac abnegatio Christi, quanquam simulata, discrimini eripiebat, cum tamen his erroris ac seductionis pœnitudo, etiam vera ac sincera, eo non profuerit, non magis quam parricidis, sacrilegis, veneficis, raptoribus, latronibus, aliisque facinorosis hominibus. Quid jam dicam episcoporum, fideique quæstorum, civilisque magistratus, ubique in perquirendis reis diligentiam? Quid doctorum virorum non minus multa quam docta, tam in defeusionem et demonstrationem orthodoxæ fidei quam in confutationem et redargutionem adulterinæ perfidiæ, diabolicæque fraudis scripta? Quid denique totius imperii ordinum, de religione comitia, nec minus rara virorum eruditiorum, utrinque instituta colloquia? Adeo nihil omissum est eorum omnium quæ ad hanc pestem eruditionis, animarumque profligandam coercendamve aliquid presilii conferre posse videbantur, et tamen tam abest quod extincta abolitaque sit, ut vires perpetuo assumpserit, ac in immensum excreverit. Sane, uti exitus rerum edocuit, nihil ad deletionem excidiumque exitialis doctrinæ valuisse, ita an in mediis fuerint, quæ hæctenus excogitata sunt remedia, non perinde omnibus fortasse est exploratum. Est certe compertissimum, in magna Christianarum provinciarum paucitate, nullam esse quæ ab hac contagione progsus intacta ac immunis

A perseveraverit, ne quid dicam, amplissima regna et populos, quos hæc animarum lues ita admittit nobis ut de recipiendis iterum aliquando vix ulla spes supersit. Quin magis formidandum censeo, ne tandem intestinis inter sese tumultibus ac dissensionibus (quæ inter eos qui a nobis defecerunt sunt gravissimæ) agitati, mutuum conficiant; quam sperandum, ut e diverticulis unquam in viam revocentur, utve ejuratis omnibus erroribus catholicam veritatem tandem amplectantur, ut nemo non possit merito una cum Polycarpo martyre exclamare: *Obone Deus, in quæ me tempora servasti, ut hæc feram, hæc patiar, hæc sinam!*

Dixerit aliquis: Nihilne superest igitur adversus hanc (quam extrema tempora pepererunt) sectam opprimendam consilii? nunquid nullum est antidotum? siccinne fatale est incurabile malum est, ut nullis machinis, nulla vi, nulla denique ratione queat superari? Absit profecto! Portæ inferorum, quarum voce procul dubio hæreses et schismata significantur, nunquam vincunt Ecclesiam Dei. Navicula Petri non mergitur fluctibus. Neque vero desunt auxilia, eaque non minus præsentia, quam olim usitata, et frequentata. Quin cogitur episcoporum œumenica synodus? Quin imitatur apostolos, quin priscos Patres, quos scimus de controversiis religionis, conventu habito, semper statuisse? Quoniam enim alio modo, Arii, Macedonii, Eunomi, Eutychetis, aliorumque hæreticorum fraudes, imposturæ, impietatesque relectæ damnatæque sunt? Cæterum, uti certissimum exploratissimumque est, conciliis ac præsertim universalibus seu plenariis, ut vocant, nihil unquam habitum fuisse, ad discutendas hæreticorum nubes et caligines, opportunius ac potentius, ita quia illius convocatio omnium non est, nec unquam fuit, sed singulari jure hodie ad Romanum pontificem pertinet, semperque saltem a translatione, sive verius sectione imperii Romani (quod extra omnem controversiæ est aleam) pertinuit consequens est, non esse cujusvis concilii habendi, exercendive potestatem facere, sed solius Romani pontificis. Idcirco non injuria sciscitabitur quispiam: Nunquid aliud nullam supersit finiendis religionis tumultibus remedium, ejus facultas pluribus communis sit, ab unius sedis apostolicæ arbitrato neutiquam dependens? siquidem omnium est recte (ni fallor) nedum sapere, rectamque in Deum fidem profiteri, verumetiam pro virili tueri ac defendere, salvamque et incolumem præstare. Equidem parum est, imo plane nihil, veterum adversus novos religionis morbos, commonstrasse curationem, si ea in præsens comparabilis non sit; paria quippe sunt, non esse quid, et non apparere, juxta tritum jureconsultorum proverbium. Ad quam quidem quæstionem difficilis admodum non est responsio, neque enim deest, cum ad hæresium proscriptionem, tum ad fidei orthodoxæ munitionem remedium alterum, quod ut promptum est atque expeditum, ita priore fortasse nihilo est in-

ferius. Neque enim tam necessariae sunt novae episcoporum synodi et comitia, ad constituendam religionem, quam priscarum et hactenus habitarum observatio diligens, quarum nunquam major (ni fallor) quam nunc neglectus contemptusque (quod si ve gravi dolore dicere non possum) existit; atque hinc fit ut nullibi vel simulacrum quodpiam germanae ac vernaculae Ecclesiae appareat. Itaque qui rerum humanarum divinarumque paulo peritiores sunt, desperato, deploratoque synodicorum conventuum pene auxilio, omnem spem instaurandae ordinandaeque Ecclesiae jamdudum in veteris disciplinae ecclesiasticae sanctione collocarunt. Quos si opinio non fallit (ut certe nequaquam fallere potest) incredibile, religiosissime Pater confessor, quantum tibi debeat, perpetuoque debitura sit, universa Christiana respublica, puta cujus hortatione et auspiciis perfectum sit ut amplissimus ecclesiasticae disciplinae thesaurus, jam quadringentis amplius annis additus ac sepultus, nunc demum in tempore quam maxime necessario, omnibus utendus, fruendus, proponatur. Nemo sane sive praecedentium, sive sequentium scriptorum, sive Graecorum, sive nostrorum, aut fustius, aut concinnius, aut melius pertractavit hanc eruditionis pontificiae portionem, quam hodie Decretorum vulgo appellant, quam fecerit Ivo noster, dum vixit, Ecclesiae Carnotensis in Gallia antistes, cujus huc pertinentes lucubrationes, hactenus magno Ecclesiae malo ignoratas, hodie primi, quod felix faustumque sit, divulgamus. Plures, scio, in hac studiorum palestra decertarunt; at qui gloriae palmam meruerint, de nostris loquor, citra omnem controversiam, et sunt, et creduntur hi quatuor, Isidorus Hispalensis, Burchardus (qui Italise et Gallis non recte est Brocardus) Wormatiensis, Ivo Carnotensis, et Gratianus, quorum tres priores a civitatibus quibus praerant episcopi, cognomina sortiti sunt; at extremus caret cognomine.

Isidorus autem epistolas canonicas Romanorum pontificum, conciliorumque acta et canones, initio ab Apostolorum constitutionibus facta, Latinorum omnium primus, consarcinavit, et veluti in unum corpus universum jus pontificium compegit, nullum in texendo, digerendoque ordinem secutus quam temporum, rerumque gestarum, ut ipse de se locupletissimus est testis, quanquam interdum veluti sui oblitus, non tam ad diem et consulem quam ad regiones et loca in quibus Patres coisissent, instar Appiani Alexandrini Rerum Romanarum scriptoris, operis in progressu respexerit. Hunc igitur Historiam juris pontificii conscripsisse merito quispiam dixerit, quam etiam ad sua usque tempora nempe ad Honorium papam ejus nominis primum perduxit, ut potuerit ad sextam synodum oecumenicam, quae adversus Monothelitas habita est Constantinopoli, in Trullo palatio Caesaris, spiritum ducere; et proinde liquet eum hinc, licet laboris ac diligentiae aliquam laudem tulerit, nullam tamen ingenii eruditionisve habere posse, quanquam alioqui fuerit sa-

culi sui longe doctissimus, cui rei ejus varia opuscula argumento esse debent. Annis inde ferme quadringentis Burchardus Wormatiensis praesul, Othonis tertii ac Henrici secundi Bavari imperatorum temporibus hanc *Worm* et molem canonum Isidori, sub idoneos locos sedesque proprias singulas materias convehens, ascriptis etiam orthodoxorum Patrum, veluti Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregoriotique Romani sententiis, in venustiore et aeconomicam formam jus omne pontificium composuit. Cui hoc nomine parem procul dubio gratiam refert catholica Ecclesia, atque Justiniano Augusto Romana r. publica. Equidem ut hic jus omne Quiritum, primum in libros, deinde in titulos et tandem in capita digessit, ita et ille universi juris pontificii quo utimur artem, Justinianeam methodum quam proxime imitatus, duodecim libris, tomisve elegantissime exaravit. Dixi duodecim, nam quod exstat opusculum hujus nomine, nihil est quam auctoris quem praefert epitome, quae quanquam numero libellorum superet archetypum, sui tamen amplitudine ac mole vix sextam illius portionem attingit. Quapropter idem Burchardo quod et Ivoni usu venit, siquidem utriusque compendia pro primis scriptoribus passim habentur et frequentantur, quippe Burchardus ipse nullius typographi litterarum formis subactus est, quem etiam propediem edere decrevimus, modo praesentis in Ivone Carnotensi castigando laboris aliqua, penes hujus scientiae cultores fuerit gratia reposita, ne quod desit spartae quam nactus sum forte ornamentum.

Hic igitur primus totum jus pontificium in artem redegit, cui argumentum et materiam commentandi, Isidori credo promptuaria suppeditaverant; ordinem vero tradendi sive aeconomicam, eorum quae apud Isidorum rudia, indigesta, ac confusa jacebant, ipse de suo contulit, et adjecit, quippe qui omnia certis classibus ac locis distinxerit ac separaverit. Quod quidem perfectum tam feliciter ut non existimem quemquam coorturum fuisse, qui idem argumentum retexeret, nisi haereses postmodum enatae aliquam accessionem operis fieri postulassent, quam etiam solam causam fuisse arbitror, quae Ivonem nostrum ad novam Canonum rapsodiam incitarit. Siquidem medio tempore cum Berengarius Ecclesiarum omnium pacem, novis quibusdam et peregrinis opinionum commentis turbasset, accidit ut decretorum Burchardi opus, mancum ac mutilum videretur, quoad priscorum catholicorum scriptorum testimonia, novatorum paradoxis opposita, commodis locis insererentur. Neque (ut ingenue fatear) video quid post Burchardum Ivo pontificiae scientiae praestiterit praeterea; caeteroqui enim omnia (si hanc dogmatum appendicem exceperis) totidem verbis, ne ordine quidem tradendi admodum diverso, penes Burchardum reperias. Nam quae penultimo libro, qui de laicorum causis sive negotiis, ad Ecclesiam tamen pertinentibus inscribitur, multa

sane affert Ivo e jure Romano testimonia, idque ex omnibus omnino totius Juris civilis libris, tam ex Pandectis quam Codice, tam ex Institutionibus, quam Novellis Justiniani principis constitutionibus, (quorum in Burchardo nulla memoria exstat) vel ob id ab eo omnia ommissa sunt, quod parum ad præsens institutum pertinere (uti vere non pertinet) judicaret, vel quod tunc majores usus legum Caroli Magni, quam Romanorum vel quod non modo vis et auctoritas, verum etiam libri omnes juris Romani, in Occidente, id temporis, intercidissent, utique hujus juris Burchardus ne meminit quidem, nisi quod semel iterumve Codicis Theodosiani testimonium protulerit. Cui conjecturæ accedit et hoc, quod Lotharius II Cæsar, quem ferunt leges ac instituta Romanorum prope ab inferis excivisse, fuerit aliquot sæculis Burchardo posterior. Causa igitur locupletioris canonum compilationis, ut vocant, quam Ivo Carnotensis beato Bernardo *σύντομος*, ante annos amplius quadringentos, dum conjurationis Berengaricæ reliquias persequeretur, emisit, hæc fuit, quam attigimus; nimirum ut hæreticorum novæ nebulae per Ecclesiæ solem discussæ procul facerent, unde accidit ut in hanc quam nunc cernere est vastitatem, decretorum arx tandem surrexerit. Vincit enim libri magnitudine omnes aliorum rapsodias, et centones, non Burchardi tantum, verum etiam Gratiani, et si qui sunt præterea decretorum concinnatores alii; quod ex pura puta, nudaque omnium inspectione, detractis glossenatum exuviis perspicere poterit liquidissime. Quod vero ad methodum pertinet, eadem plane hic est quæ in Burchardo, quo ne prolixior quidem copiosiorque sit futurus, modo dogmatum corollarium ademeris.

Cæterum cum librorum prolixitate ac magnitudine, non omnes perinde (ut fit) afficerentur, non defuit qui in arctiorem formulam protinus universum auctorem contraheret, quo compendiolo cum studiosi plurimum uterentur, facile accidit, ut Ivonis labores in oblivionem venerint, et tantum non intercidissent, adeo ut in hanc horam omnibus creditum sit, exiguum illum libellum, qui titulo Pannormiæ Ivonis, incerto auctore (nisi quod quidam Hugonem Catalanum fuisse suspicantur) passim circumfertur, esse ipsum autographum; quod hæcenus omnes latuit, et etiamnum lateret, nisi tu, reverende Pater Confessor, id e tenebris in lucem, omnium mortalium primus, vindicasses. Porro quod hujus auctoris vita ac memoria omnium opinione brevior fuerit, etiam ut omnia alia deesset probatio, fidei faciendæ vel id suffecerit, quod Gratianus annis circiter quinquaginta insecutus, qui extremam huic canonicæ scientiæ manum admovit, Ivonis Decretorum synopsis (ut nec Burchardi) nunquam viderit; quanquam utriusque compendiis adjutum fuisse, nemo possit ire inficias. Equidem si de sacris fontibus ipsis canonum, primisve rivis eorum, et minime de compendiariorum sæcibus hausisset, hic non hospes, at contubernalis meus

A Gratianus profecto purius meraciusque bibissemus omnes, aut si omnino aditus patebat ad Burchardi Ivonisve limpidissimos canonum fluvios, mirum quod hujusmodi potus avidos ac sitibundos, eo non perduxerit, unde etiam ipse biberet longe purius et suavius. Plane id credibile nequaquam est Gratianum eo recordiæ unquam processisse ut existimarit suorum centonum et farraginum aliquod operæ pretium futurum, quoad alterutrius horum Burchardi, inquam, aut Ivonis volumina superessent. Etsi altera præterea Gratiano exceptio competit, quæ omni criminatione eum facile liberaverit. Illi enim simplicissimam eamque optimam discendi docendique juris pontificii viam ac rationem callentes, sub convenientes singula titulos sedesque, comportarant: nihil de suo narrationi interjiciendo, nihil item altercationibus indulgendo. At mox recentiore academia (disputatrice, illa nimirum) instaurata, pulchrum sibi Gratianus duxit, si eam in canonum sacrosanctas possessiones inferret primus, ac proinde videmus non hoc ei studio fuisse in tractatione, ut methodum aliquam sectaretur, sive ut artem quempiam juris pontificii daret, (qui fuerat priorum tractatorum omnium unicus scopus) quin totus in eo versatur ut constitutionum ecclesiasticarum diversitatem, ac antinomiam (quam potest commodissime) componat ac conciliet. Itaque non tam selectorem sive compilatorem, (ut aiunt) canonum, ubique agit, quam disceptatorem et cognitorem, seu judicem, utique sine exemplo etiam id, quod vetustioribus religio erat, canonum texturam, propriis sententiis interjectis abrumpere. Quo ad extremum pertinet, quod nec aliud nec amplius primæva Gratianici Codicis inscriptio pollicetur, quæ est: *Canonum dissidentium concordia*. Tunc enim dialecticæ argutiæ et captiunculæ omne doctrinarum genus invaserant, cæperuntque omnes artes liberaliores esse digladiatoricæ, cum majoribus methodo, facilitate, ac simplicitate tradendi, nihil fuisset antiquius.

Quamobrem qui in Gratiani volumine methodum (sine qua *διδασκαλία* esse nemo potest) vestigant, videntur mihi non absimiles iis qui delphini in silvis, aut in fluctibus apri venationem instituunt aut, ut propius eloquar quod sentio, qui ea quærunt quæ nusquam sunt; quod manifestissimum sit Gratianum nullam artis rationem observasse, ut subinde me non potuerit non pigere præceptoris, quanquam non omnino pessimi, tamen confusi valde, impediti et inconditi, omnique tractandi docendique dexteritate et Venere, ut sic dicam, carentis. Quemadmodum satis demirari nequeo quo fato, judiciorumve perseverantia acciderit ut, hoc uno in scholis retento, alii omnes ita exsulent ut ne privati quidem legantur, cum tamen certo certius sit rerum docendarum rationem et viam (quam methodum vocant, ut tacitam reliqua omnia, in his duobus (Burchardo, inquam, et Ivone) quam Gratiano melius constare. Nihilominus si qui erunt qui ita Gratiani lectioni

insueverint, ut alium magistrum admittere recusent, A uti non desunt fortasse, qui glandes non reliquerint etiam repertis frugibus) ne cum hisce quidem quidquam contendendum duximus, dum agnoscant maximum, quod ipsorum præceptori hinc accessurum est, beneficium ac commodum; quod infinita sunt apud eum vitia ac menda, ne quid lacunas dicam, falsasque auctorum inscriptiones, quæ aliunde restitui ac suppleri nequeunt. Quid aliis acciderit nescio, quid mihi, paucis referam. Cum primum huic disciplinæ operam darem, nec alium præceptorem quam communem omnium Gratianum haberem, tantum inveni ubique sentium ac tenebrarum ut omnino diffiderem me aliquando ad optatam studiorum metam tali duce pertingere posse, nec destiti de harum rerum cognitione adipiscenda desperare, quoad huic *σχιτηνὸν ἡμῶν* Delii natatores, quos superius commemoravi, et in iis imprimis Ivo noster, accessissent. Quin etiam ausim affirmare, inter omnes eos qui in Gratianum exstant commentarios, nullum esse qui plus illi lucis ac fidei conferre possit, quam hæ Ivonis decretorum Pandectæ. Tam igitur adest quod Gratianum, qui unius totius juris pontificii, alteram prope paginam conficit, aut gymnasiis aut bibliothecis exigi velimus, ut instauratores verius, per hanc Ivonis Carnotensis editionem, dici mereamur, ut nullo pacto opera nostra in reprehensionem venire possit, ne apud illos quidem, qui in unius Gratiani magistri verba jurarunt. Verum enimvero uti compertum habeo huic pontificiæ professioni, nostro hoc munere nullum edi potuisse majus aut præstantius, nullum item exulceratæ Ecclesiæ utilius, nullum denique his extremis miserrimisque temporibus salutaris, morbi gravitate faciente ut omnes hujus medicinæ egeamus, sit ut gratum jucundumque plerisque futurum sit, vehementer ambigo. Nam uti procul dubio τὰ δευματικὰ, ejusmodi hic sunt sane quam multa, veluti de eucharistia, baptismo, poenitentia, purgatorio, jejuniis, missa, Romanæ sedis primatu, etc., hæreticis nostræ tempestatis, qui hisce omnibus obsistunt, non probabuntur, ita magnopere vereor ut in hac morum non minore licentia, quam corruptione, τὰ ἡθικά, nostris hominibus, catholicis, inquam, nihilominus displiceant. Neque enim video nosve a pristina virtute, quod dispudeat, an illi a fide longius recesserint et degenerarint, adeo ut ne vestigium quidem vetustatis alicubi appareat. De fide utrumque acerrima contentio est, sed operibus nuda et vacua, metuo, quam beatus Jacobus mortuam non ineleganter, quod sit ad salutem sola inutilis, appellavit (*Jac. II, 20*), adeo ut subinde mecum cogitem, simile omnino inter Christianos certamen exarsisse nunc quale olim Trojanis ac Græcis, de Patroclo, sed mortuo, nimirum de ejus cadavere digladiantibus, Homerus assignerat. Cæterum nemo hic a me expectet ut quidquid ubique peccatur, sive intus sive foris, percenseam, sive ut cujusquam opprobria vitiaque, uistar diri Chami, elimineum.

Unum interim reticere nequaquam possum, unde, veluti e fonte, quidquid est malorum, putatur scaturire, quanquam id notius omnibus sit quam ut quisquam dissimulare possit. Inter religionis præsidēs episcopos, quotusquisque ac præsertim per Galliam ac Germaniam, vicinas nobis provincias, quotusquisque, obsecro, unquam vel portiunculam aliquam officii attigit sui? ecquis altaria unxit, ecclesias dedicavit, virgines sacravit, poenitentibus illustratisve manum imposuit? ecquis unquam parœciam visit ac lustravit suam? denique quis unquam suggestum ad populum clericumque verba divina facturus, conscendit? Annon omnia quanquam sui natura fere hujusmodi sint ut mandari nequeant, novo inauditoque more, ac citra ullum majorum exemplum, in aliorum fere humeros rejiciunt? quorum usus adeo vetustus non est, ut hujusmodi *τοποπρίται*, in toto jure pontificio vix dum nomen invenerint. Si enim episcopos, coepiscoposve, vocare tentaveris, illico in caonem Nicænum impinges, qui non patitur eidem civitati plures præfici antistites. Sine chorepiscopos malis, nihilo poteris rectius, quod manifestissimum sit horum olim fuisse multo arietorem quam sit hodie istorum propositifcum potestatem. Et tamen hos ipsos chorepiscopos ἀπὸ τῆς χωρῆς, quasi vicanos villanosve episcopos dictos, Damasus papa sustulit, ne pontifices, otio ac quieti dediti, aliquam quamvis non omnem muneris sui partem in has veluti vicarias operas averterent, quos etiam infami sædæque similitudine, meretricibus quæ enixæ partus alendos alio amandare consueverunt, exæquavit. « Sic et isti (inquit) infantes suos, id est populos sibi commissos aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est ut pro suo libitu sæcularibus curis inhiant, et quod unicuique visum fuerit liberius agant. » Et subdit idem continuo. « Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses et schismata prodeunt, Ecclesiæ destruantur, sacerdotes vitiantur, et reliqua mala proveniunt. » Ubi beatissimus idemque doctissimus papa Damasus, apertissime ostendit hæreses, schismata, cleri, populique; corruptionem, denique totius Ecclesiæ desolationem ac deformationem, nec non universam quæ nos circumstat, malorum Iliadem, non alias quam ex anti-titum socordia, negligentia ac supina ignavia, veluti ex equo quodam Trojano prosilire. Sed ad rem; ne chorepiscopi igitur quidem nomen, his vicariis episcoporum accommodari poterit, quod chorepiscopis fas non fuerit sacerdotes, diaconos, virginesve consecrare; qui etiam aras non erigebant, ecclesias non dedicabant, chrisma non conficiebant, nec eo baptizatorum frontes ab episcopo forte confecto signabant: denique nullum fere pontificium manus exercebant cum tamen titulares seu utopienses nostri, procurent omnia. Vulgus Latinorum suffragatores seu suffraganeos appellat, sed ineptius quam ut confutationem mereatur; quod intelligentes fortasse Galli alia voce conficta, crediderunt rectius portia-

tivos, et per ludibrium omissis R. nonnunquam potativos episcopos posse nuncupari, quod cum sint ἀπαλλὰς, tabulas pontificias, quas solas habent, quocumque commeant, sine incommodo secum gestent et circumferant, (ni fallor) quod nomen etsi verius possit his episcoporum vicariis attribui quam suffraganeorum, tamen apparet magis jocosum esse quam serium. Mihi sane placet ut ἀκώλυτοι mancant qui sunt ἀνόμητοι; quibusque salvis, si Damaso papæ creditur, Ecclesia satis salva esse non poterit. Atque utinam nulla gravior in episcoporum plerosque accusatio competat, quam hæc sit quam nunc incessimus inertiae ac ignaviae, quanquam hæc sit longe gravissima, utcumque consuetudine longa effectum sit ut vitii gravitas minus fortasse sentiat! Petrus apostolorum coryphaeus apud Clementem scite Ecclesiam navi comparavit, cujus magister sit episcopus; nautæ, clerici; vectores, populus: Deus bone, quomodo poterit hæc navis naufragium vitare, et non in scopulos, vadaque impingere, iis in puppi sedentibus, clavumque tenentibus, quibus ne in sentina debuit esso locus? Imo, quod deterius est, qui ne conscendunt quidem navim unquam? profecto perquam ridiculum est, ut aliquando portum inveniat sperare, nisi aut alii gubernacula susceperint, aut qui præficiuntur nauceri, alium prorsus animum curamque induerint. Neque tamen communis est adversus omnes hujus ordinis viros hæc quærimonia. Siquidem uti imprimis ad eos qui vere ἐπισκοποῦντες, id est inspectores et superintendentes sunt, non pertinet, ita ne eos quidem contingit qui operam navant aut pontifici maximo, aut reipublicæ, aut quibus aliqua alia justa vocationis excusatio competit: quin tantum eos petere intelligitur, qui otii sui ac temporis nullam necessariam, imo ne honestam quidem rationem probare possint: et vix alii sunt, si dicere fas est, ne quid gravius, quam ἐρώσιον ἀχθος ἀρούρης, quales si nulli reperiuntur, placet ut temere accusantium querentiumve poenas subeam. Jam vero nemo mihi dixerit id facile emendatum iri, cum nihil prohibeat eos ecclesiis regendis admoveri, quorum eruditio ac virtus ante perspecta probataque sit. Est quidem id omnibus vehementer exoptandum, at quantopere sperandum sit, alii viderint. Illud unum scio difficilius id esse quam multorum ferat opinio. Vetus est sane quod Romanis Cannæ, id Annibali Capna. Unde intelligitur summos viros magis fatigari ac frangi rebus prosperis quam adversis. Fingamus igitur jam episcopum candidatum ad unguem factum, sit honestis, piis sanctisque moribus, sit insigni rerum divinarum humanarumque præditus eruditione, sit matura ætate, sit civibus aliisque omnibus reipublicæ ordinibus comprimis gratus et acceptus, sit denique omnibus numeris absolutus, et ad Paulinam ideam plane fabricatus (cujusmodi in hac bonorum virorum orbitate, morumque dissolutione aut nulli sunt, aut si qui sint, vix perquiruntur); is igitur ubi jam omnia in sua voluntate, ne dicam libidine, posita esse perspexerit, ubi nemini unquam rationem quid-

A quid gesserit, vel non gesserit, reddendam esse scierit, ubi denique solum se ἀνεύθυνον ἔξουσιαν, eamque perpetuam, consecutum esse animadvertent, qui poterit, quæso, in hac humanae naturæ fragilitate, in tanta vitæ voluptatumque omnium licentia et impunitate, assentatorum ad hæc grege perpetuo stipatus, qui poterit, inquam, non insolescere, moderationisque prioris non protinus oblivisci? Hæc sane aliaque complura sunt quæ de Ecclesia formanda nos sperare nequaquam sinunt, quin magis ruinam et exitium impendere (utinam sim falsus vates!) portendunt. Quæ omnia quisquis per synodum œcumenicam, cujus ipsius necdum satis certa signa sunt, curata ac emendata iri confidit, præterquam quod misere fallitur, etiam antiquitatis ecclesiasticæ ignorantem turpissime meo (quidem iudicio) prodit. Non quin synodus habenda non sit, quam consultissimum erat nascenti morbo, priusquam tam altas radices ageret, ac tam longe lateque diffunderetur opponere; sed quod sperandum non sit ut factionum principes, eorumque sequaces aliquando eo unde deflexerunt, revertantur: quin magis metuendum ne plures in dies a nobis deficiant, et adversariorum castris sese jungant, nisi alia fuerit episcoporum cura, alia mens, alius animus. Integritas enim præsidentium salus est subditorum, et totius familiæ domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniat in capite, ut inquit eleganter Leo Magnus. Nam quales principes civitatum sunt, tales consequens est et reliquos esse cives; quemadmodum e diverso nihil potest esse verius vetere Hebræorum verbo קָרַב טַבַּע, id est, « qualis populus talis et sacerdos. » Quapropter imprimis necessarium est ad Ecclesiam (quæ nunquam adeo afflicta corruptaque cheu existit!) sanciendam restituendamque, diligentissimum omnino delectum, in iis qui Dominicis castris præficiendi sunt, haberi. Nemo, juxta sanctorum Patrum venerabilis sanctiones, ad hoc honorum ecclesiasticorum fastigium idoneus censetur, nisi cujus ætas omnis a puerilibus exordiis usque ad protectiones annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia currenit, ut unicuique testimonium anteacta vita præbeat, neve possit de ejus integritate ac fide a quocumque dubitari, quippe qui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci præmium quodammodo debeatur. Nam, ut elegantissime ratiocinatur idem Leo primus: « Si ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, et notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant, quam diligens et quam prudens habenda est dispensatio divinatorum munerum et cælestium dignitatum, ne in aliquo apostolica et canonica decreta violentur, et his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescii, et totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed a summis volunt habere principium? cum valde iniquum sit et absurdum, ut imperiti magistris, eosd

antiquis et rudes praeferantur emeritis? Quapropter cum plurimum referat quales constituentur Ecclesiarum antistites, nemo non videt nunquam nimis exactam in his legendis cautionem esse posse. Cui proximum est ut synedorum provincialium jam dudum obliteratus mos, iterum in usum revocetur, alioqui enim (ut reliquas Ecclesiae necessitates quae quotidie emergunt taceam) officium facturi non sunt episcopi, minus sane cogentur in ordinem, quotquot illud aliqua ex parte forte deseruerint. Quibus addam et tertium, nimirum ut ordo hierarchicus pristinae suae integritati aliquando restituatur. Sic enim et confusio ubique cessabit, et inter Ecclesias earumque praesides summa futura est pax atque tranquillitas. Qua in re optarim pontificem maximum perpetuo cogitare se hujus ordinis defensorem ac tutorem esse constitutum, et ad ipsius religionem pertinere ne a quoquam termini et cancelli Patrum perturbentur: quemadmodum certissimum est ad ejusdem tendere reatum, si a quoquam patrum regulas sanctionum violari contingat; alioqui enim Ecclesia Dei Penelopeae telae non erit ab-

A similis, siquidem quidquid alii omnes aedificaverint, fas sit uni diruere et evertere, quod est vehementer (ut fallor) ridiculum, nec minus absurdum. Non sum nescius infinita esse alia in hac morum corruptela ac abusu secum, et patrum constitutionum sopore, emendationis reformationisque indiga, sed quae provisus prioribus, non invita omnia sequentur, quae quidem hic vel ideo repetenda non sunt, quod in his Decretorum libris, cuilibet in medio futura sint. Accipe igitur tandem Ivonem tuum, quem non sine fenore remittimus, habiturus es enim nitidiorum habitoremque multo, reverende Pater confessor, quam dum a barbaris (scis quos velim) primum redimeres. Quidquid sane operae in castigando corrigendoque impensum est, id omne tuae reverendae paternitati, cui jam dudum sum devotus, libens consecro. Quin si aliquid aliud a me voles, tuum erit explorare quid optes, meum perpetuo jussa capescere. Valere te opto diu in Christo Jesu Domino nostro beatum et incolumem, cujus dilectioni me totum dedicoque.

Datum Lovanio, Kalendis Augusti, anno 1561.

DE IVONIS DUPLICI COLLECTIONE

{Excerptum ex BALLERINORUM *Disquisitionibus de antiquis collectionibus et collectoribus canonum*, parte IV, cap. 16, Patrol. t. LVI.

1. Ivo in agro Bellovacensi natus sub medio saeculo XI, et anno 1078 constitutus abbas monasterii Bellovacensis S. Quintini ordinis Canoniorum Regularium, tandem episcopus Carnotensis electus an. 1092 et consecratus ab Urbano II, mortem petiit anno 1115 vel, ut alii malunt, 1117. Vir fuit non solum doctrina egregius, sed etiam zelo, prudenti constantia, fide, et sanctitate conspicuus; ac propterea Pius V constitutione data anno 1570 canonicis congregationis Lateranensis concessit ut die 20 Maii Ivonis memoriam celebrarent. Duae canonum collectiones Ivonis nomine inscriptae prodierunt: una in octo partes distincta, *Pannormia Ivonis* appellatur; altera *Decretum Ivonis*, quod in septem et decem partes distribuitur. *Pannormia* typis impressa fuit Basileae anno 1499, curante Sebastiano Beandt, eamque iterum Lovanii anno 1557 a mendis correctam Melchior a Vosmediano recudendam curavit. *Decretum* vero primum prodit Lovanii anno 1561 opera et studio Joannis Molinæi Gaudensis, et postea cum aliis Ivonis operibus ad fidem antiquissimi codicis Victorini iterum impressum Parisiis anno 1647. Utrique operi in vulgatis praefixa est eadem omnino praefatio, quam Ivonis esse stylus aliis ejus epistolis aequalis omnino demonstrat.

2. Utriusque operis titulos imprimis referamus. Parte prima fusioris operis, quod *Decretum Ivonis* vocari solet, agitur de baptismo et confirmatione.

PATROL. CLXJ.

C Secunda de sacramento corporis Christi, sacrificio missae, et reliquis sacramentis, ac simonia. Tertia de Ecclesia et rebus ecclesiasticis, et earundem reverentia et observatione. Quarta de festis, jejuniis, Scripturis canonicis, consuetudinibus, et conciliis. Quinta de primatu Ecclesiae Romanae, et de primatum, metropolitanorum et episcoporum ordine ac juribus. Sexta de vita, ordine, et censura clericorum. Septima de monachis. Octava de conjugio, et virginitate, de raptu, concubinata et adulterio. Nona de incestu et gradibus prohibitis. Decima de homicidiis voluntariis et involuntariis. Undecima de magis, sagis, histrionibus. Duodecima de mendacio, perjurio, etc. Decima tertia de furto, usuris, venatoribus, ebriosis, furiosis, et Judaeis. Decima quinta de poenitentia. Decima sexta de officio et judiciis laicorum. Decima septima pars sanctorum Patrum 9 ac praesertim Gregorii Magni sententias continet de fide, spe et charitate.

3. En porro titulos alterius collectionis, quae *Pannormia Ivonis* inscribitur, quales ipse auctor exposuit.

4. Prima pars hujus libri continet de fide, et de diversis haeresibus, de sacramento, id est baptismo, et ministerio baptizandorum, et consecrandorum, et consignandorum, et consignatorum, et de observatione singulorum; et quid conferat baptismus, quid confirmatio. De sacramento

2